



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Indictio, Acta & Decreta Synodi Diœcesanæ
Paderbornensis**

Diözese <Paderborn>

Nevhvsii, [1688]

Tit. IV. De Cathechesi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36013

TITULUS IV.

De Catechesi.

I.

A Proba puerorum atque adolescentium informatione non privata tantum familiarum paucarum, sed publica etiam & communis Republicæ totius salus, atque Ecclesiæ integritas dependet, quam ob rem necessarium plane est, ut omnes à teneris atque ab adolescentia portent Jugum Domini in pietate & bonis moribus, ac litteris instruantur, ut una cum pietate ac Religione honestas conjuncta ab incunabilis imbibatur. Quocirca Parochi omnes tradendæ Christianæ doctrinæ & explicandi Catechismi studium sibi habent cordi ac curæ, cogitentque se tanquam bonos optimi Patris familias Ministros multò diligentiorem operam spargendæ in novali Domini agro Catholicæ Religionis sementi impendere velle, quām inimicus homo in super seminandis Zizanijs (quæ evelli deinde ægerimè queant) collocet.

2. Singulis itaque diebus Dominicis elementa Religionis Catholicæ juxta methodum Cathechismi Romani perspicuè explanent pueris Parochi vel per se vel per alios ad functionem hanc idoneos tempore pomeridiano sub horam duodecimam vel primam, idque in Oppidis & Pagis observari jubemus.

3. Atque ut rudit pueritia ad piam hanc exercitationem animetur affluatque copiosius, lingua vernacula per breves & concisas quæstiunculas suaviter atque humaniter fidei rudimenta, hoc est ea, quæ ad fidem, spem & charitatem, Sacraenta & Officia Iustitiae Christianæ pertinent, continenturque oratione Dominicâ, salutatione Angelicâ, præceptis Dei & Ecclesiæ, virtutum studio, vitiorum fugâ, exponant, diligentioribusque munuscula donent.

4. Pastores, Concionatores & Catechistæ invitent & allicant etiam Juvenes ac seniores ad Catechismum audiendum, cum hi scèpè numero magis quām pueri Catechetica indigeant instructione. Supinam insuper parentum in educandis prolibus socordiam scèpè castigent, cùm experientiâ constet, multos mortalium majorem pecoris sui quām prolis aut sui ipsius rationem habere: unde, quod deplorandum est, complures astu & suaſu diaboli ad veneficia & magicas artes seducuntur. Efficaciter proinde Parentibus & Patribus familias tam privatim quām publicè in Concionibus inculcent, ipsos sub poena gravis peccati obligari ad rudes suos liberos & domesticos doctrinâ Christianâ imbuedenos, illosque identidem intentatis etiam poenis admoneant, ut liberos suos Juniores & seniores famulos & ancillas ad divina Officia & Catechismum diligenter mittant.

5. Publicent quoque, nullos prorsus ad sacram Eucharistiam percipiendam vel Matrimonium ineundum deinceps admittendos, nisi Romano-Catholicæ fidei principijs satis instructos, sic enim futurum confidimus ut non solùm pueri, sed etiam adulti & senes ad institutum hoc sanctissimum cum uberrimo animarum fructu frequentiùs convolent.

6. Ne qui vero sint, sive parentum sive liberorum, qui tam salutare opus negligant aut contemnant, visitentur familie singulorum Parochianorum à Pastore cujuscunque loci, & Catalogus conficiatur puerorum & puellarum famulorumque & ancillarum cujuscunque familie, quo absentes facile cognosci & puniri possint.

7. Diversitas libellorum doctrinæ Christianæ seu Catechismi magnam in discendo & docendo parit difficultatem, ideoque mandat hæc Synodus, ut Parochi aliquæ omnes ad quos spectat, unum & eundem modum in docendo & discendo doctrinam Christianam ubique teneant, tenerique faciant.

8. Durante lectione Cathechetica cessabunt omnes lusus mundani, saltus, clamores & occupationes ac potationes, illicitumque erit omnibus Tabernarijs ulli quām itinerantibus tabernam aperire & potum præbere.

F

TITULUS